

salium, & dicitur sal amarum: quia oritur de minera maris, & est acutior omnibus salibus in suo genere, quia est minera, & cum eo calcinantur corpora & spiritus, & cum eo fiunt resolutiones & coagulationes Elixir.

Geber. Nota, quòd nullum argentum potest fieri nisi omnia prius solvantur. Secundò, quòd nulla solutio debet fieri, nisi in sanguine proprio vel appropriato: id est, in aqua Mercurij, quæ dicitur aqua draconis. Tertio, quòd illa aqua draconis debet fieri per alembicum sine omni alia re addita: & quòd in faciendo ipsum est maximus foetor. Quartò, quòd cum illa aqua potest solui amalgama, corpus & spiritus, cinabrium, & breuiter omnia & singula quæ sunt de natura ipsius. Quintò, quòd illa aqua debet esse munda: ergo non debet fieri, nisi de dracone purgato: purgatur autem draco ipsum ter eleuando, & inde ipsum viuificando. Sextò, quòd oportet vt solutum putrefiat in calido & humido: id est, in fimo equino, ex hac oritur vna nigredo. Septimò, quòd coaguletur in sicco Solis in humido: id est, in balneo Mariæ. Octauò, quòd tempus perfectionis Elixir est ad minus vnus annus. Est tamen videre, quòd debet esse tempus foetus humani in utero matris. Nonò, quòd Mercurius nullo modo interficitur, nisi cum odore corporis perfecti rubei ad rubeum, & albi ad album: & quòd corpus potest dare pondus suo pondere remanente.

Quatuor sunt quibus opus nostrum completur, videlicet pondus, ignis, corpus & spiritus. Decimò, quòd omnes receptæ sunt spernendæ in arte. Vndecimò, quòd rebus præparatis in vase positis, erit ludus puerorum, & quòd in vno vase potest magisterium adimpleri. Item quitunq; habet Mercurium verum, habet Elixir, & quòd Elixir est Mercurius mortificatus, seu fixus cum odore corporis, quia draco non moritur nisi cum fratre & sorore sua. Item nota, quòd oportet omnino, quòd de corpore fiat Mercurius: id est, quòd fixum fiat volatile cum volatili: id est, cum Mercurio mundo, & est necesse quòd plus sit de volatili quam de fixo, à duplo vsq; ad quintuplum vel sextuplum vsque ad decimum, & non vltra. Et quantò plures sunt partes vola-

*Supra
So.
Flamm
p. 133.*